

tecum hactenus egerit, satis dubito. vos unam videritis, et si qua
 opitulari me posse judicabitis, toto meo utemini fruemini
 Vale vir Maxime et ΠΑΡΕΜΟΡΙΑΥ, qua pro amicitiae
 lege utor, aequi consule. Etenim toto pectore sum
 Duna in Castris 12. Calend. Sept: *Tuus.*
 C1D1DCXXXI. *C. H.*

Abrahamo Boestadio
 ignoto. Hornam.

(143).
 Quis me, vir literate compellaveris, non minus nescio quam
 quo meo merito in mentem Amplissimo Foresto venerim,
 cui inter primos Archetyparum veterum suarum copiam
 factam voluerit. Equidem insigni viro nisi molestus, nunquam
 innotui. Amici olim aut cognati causam audaci commou-
 datione patrocinatus. Bene sit tanta humanitati, quae
 beneficium poena vicem habere voluit, et offensa non
 videri, ne deesset, ubi se exerceret. Bene item felici ingenio
 cujus elegantiae, ut de Lucilio amicus dixit. Non est, tantum
 magna sectari, sed rebus pariter Musisque vacare
 et a Republica in hos colles divertere, unde et Reipublicae
 utramque sortem prospicere, et jucunde se sapienter solari
 et in adversa, felici applaudere cum applausu, quae res
 hodie ut quibusdam vitio vertitur, ita semper ignoran-
 tibus tantum ingrata fuit, atque contemptui. Me
 solum si excepias, qui utcumque τὸ μὴ πολεῖν, μὴδ
 ἔλαχιστον. in re literaria consecutus amicus credar,
 credor amicus tantum, non invidis, non mihi, et ejusdem
 tamen inter praecipuos cultores, adeoque ac Foresti, et
 in posterum tui, vir erudite, censeris postulo. Vale
 in Castris ad Bergam 8. Id. Octobris C1D1DCXXXI.

Antonio Oem.
 Dordracum.

(144).
 Habes alterum Principis mei Diploma viri Amplissimes
 quo, si quid priori omissum aut expressum minus clare
 fuerit, commendandi potestatem Amica jam se sine scrupulo
 adeptam sentiet. Haec Puteano, haec Tibi, qui affinitate
 quaedam viro magno conjunctus es, non officiarum no-
 mine, sed debita persolvo. et quoties occasio tulerit utriusque
 prono affectu persolvam. Vale, in Castris ad Bergam 21. Cal.
 Octob. 1631.

Puteano.